





87  
1668, 56

DUCE CHRISTO,  
ATQUE  
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS,  
IN ILLUSTRISALANA CONSENSU  
*benevolo,*  
DISPUTATIONEM JURIDICAM

22  
//

D O T E,

SUB PRÆSIDIO  
VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ATQUE  
CONSULTISSIMI  
DN. STATII HARBORDI  
von Wintheim, J. U. D. CELEBER-  
RIMI, ET CURIÆ PROVINCIALIS SAXO-  
NICÆ UTRISQUE LINEÆ COMMUNIS,  
ADVOCATI ORDINARI,

*Domini Hospitis, Patroni ac Præceptoris sui omni  
observantia cultu et atem de venerandi,*  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISIT

CHRISTIAN. Anton Stammich,

Mind. Guest.

AUTOR ET RESP.  
IN AUD. ICTORUM HORIS CONSUETIS

*Ad diem 23. Septemb.*

---

JENÆ, Typis WERTHERIANIS,  
A. M. DC. LXIIX.

6

MAGNIFICIS, PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS  
CONSULTISSIMIS atq; EXCELLENTISSIMIS

DN. DANIELI ERNESTO

Derenthal / SERENISSIMI ac PO-  
TENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBUR-  
GICI, IN PRINCIPATU MINDENSI, CONSILIARIO,  
& CANCELLARIÆ IBIDEM DIRECTORI  
VIGILANTISSIMO,

DN. CASPARO à Schortemer/  
J.U.L. COMITI PALATINO CÆ-  
SAREO, SERENISSIMI ELECTORIS BRAN-  
DENBURGICI CONSILIARIO PROVINCIALI, & RE-  
VERENDISSIMI CAPITULI MINDENSIS SYN-  
DICO MERITISSIMO,

DN. ANDRÆ Crausen / J. U. D.  
& REIPUBLICÆ MINDENSIS  
SYNDICO DEXTERRIMO,

*Dominis meis respectivè Affini, Fautori, Cognato,  
Promotoribus meis, ut magnis, ita omnio-  
servantia cultu & vultu at a tem san-  
ctè de venerandis*

Disputationem hanc testandæ debitæ obser-  
vantia Ergò,

*Officiosissimè offero & consecro*

CHRISTIAN ANTON Stammitz/

AUTOR ET RESP.

PRÆLOQUIUM.



Lycurgum Spartanorum legislatorem, rogan-  
 ti, quare puellas elocari indotatas sanxisset,  
 respondiſſe refert Plutarchus; ne vel per mo-  
 diam alia illocabiles ſint, vel opum cauſa ambian-  
 tur, ſed ſeſtans quiſque virginis mores, ex vir-  
 tute delectum facit. Plutarch in Apopht. in  
 Lycurg. † Gravilline ſane, cum enim teſte

Juvenali, Sat. 3. de moribus ultima fiat queſtio; & ſœpius expe-  
 tantur, quæ licet animi careant dotibus, cum optatis veniunt an-  
 nexis corollariis, ut loquitur Cruger. Diſp. 2. Pol. rh. 72. † non  
 raro infelicia exinde conſtantur matrimonia, in quibus, ut ait Ec-  
 cleſ. c. 21. nihil niſi odium, contemptus ac ignominia. † Suo id  
 exemplo teſtatur Demanetus, Artemonæ maritus, apud Plaut. in  
 Aſinar. Argentum inquiens, accepi, dote imperium vendidi.  
 † Quod animadvertens Martialis, reſpondet:

*Uxorem quare locupletem ducere nolim*

*Queritis? uxori nubere nolo mæ.*

† Nam, ut alibi Megadorus; *Quæ indotata, in poteſtate eſt viri,*  
*dotata maſtant & malo & damno viros* † Omnes enim, tradente  
 Sen. lib. 2. Decl. 6. *divites ſervitutem exigunt. Crede mihi;*  
*volent regnare in ſuis divitiis.* † *Dos enim, & forma ſunt ſtimuli*  
*ſuperbiæ, & unde dos ingreditur magna, inde libertas egreditur ma-*  
*riri, quæ ſi cara illi fuſſet, ullò pretiò vendita non fuſſet,* ut ex  
 Franciſc. Petrarcha refert Tholoſ. Lib. 9. Syn. Jur. univ. c. 18.  
 n. 12. † Unde & Ariſt. 2. Pol. 7. *Meliùs nullam, vel exiguam &*  
*modicam conſtituere.* add. Bod. de Rep. c. 2. Plat. lib. 3. de Rep.  
 † His & ſimilibus rationibus, ad eliminandas è republica ſua  
 dotes moti & alii populi, uti de Indis, Hetruſcis & Agyptiis pro-  
 bant, Joach. à Beuſt. Tr. Connub. p. 2. in præf. Zyving. in Theatr.

- 11 *Vit. hum. vol. 3. l. 7. rubr. opulencia.* † Ubi in specie, ex Alex. ab Alex. tradit, quod Ægyptii adeo dotes fuerint aduersati, ut qui dotes acciperent, veluti mancipia mulieribus addicerentur.
- 12 † adde de Babyloniis Gothofr. in not. ad l. 1. ff. solut. matr. L. D.
- 13 † De Germanis ita Tacitus: *Dotem non uxor marito, sed maritus uxori offert: intersunt Parentes & propinqui, & munera probant: munera, non ob delicias questim, nec quibus nova nupta comatur, sed boues & frenatum equum, & scutum cum framea gladioque. In hac munera Uxor accipitur, atque ipsa invicem armorum aliquid offert: Hoc maximum vinculum, hac arcana sacra, hos conjugales*
- 14 *DEos arbitrantur. de morib. Germ. c. 18.* † Ita apud Gothos non Mulier Viro, sed vir Mulieri dotem adsignavit, teste Joh.
- 15 Magno l. 7. c. 9. † Alia longè Romanis hac de re stetit sententia. † Considerantur nempe varia matrimonii onera, quibus
- 16 ferendis utiliter seruiant dotes † unde Pompon. publicè interesse, dotes mulieribus conservari, cum dotatas, esse fœminas
- 18 maximè sit necessarium. l. 1. ff. solut. matr. † idem testatur
- 19 Paulus in l. 2. ff. de Jur. Dot. add. l. 20. C. Eod. † Nec etiam rationes in contrariam adductæ, tanti videntur esse momenti,
- 20 ut propterea Romanorum castra deferenda sint. † Non enim aurò verus conciliatur amor, nec perpetuum est, quod dotata
- 21 matrimonia infelices sortiantur exitus. † Oriantur licet ex amplissimis dotibus rixæ; exsurgat exinde maritorum quandoque contemptus: quid inde? an hoc necessariò ex dote sequitur? Nequaquam. † Non enim doti hoc adscribendum, quod cum ea non nisi per accidens cohæret; cum idem in matrimonio non dotato quoque contingere possit. † Multas namque ex humili casa prodire videmus uxores, tantò superbiore illis, quæ inter purpuras jacuerunt, quantò regiis ædificiis casa est
- 24 abjectior. † Nec enim in opibus, sed animo, superbia residet. Imò nec hanc ipsam exterminasse è Republ. sua Lycurgum, constat, tum ex Arist. l. 3. Pol. c. 7. tum ipsò supra citatò
- 25 Plutarcho. † Cum enim Laconica Mulier ab hospite quadam, his verbis. *Sola viri imperatix uxores Spartana, laceraretur, illa muliebri hoc imperium non tantum non negavit, sed sat imperiosè, Sola enim parimus viros, respondet.* Plut. in vita Lycurg.

*Lycus*. quod dein in proverbium abiisse ex Sabellico constat.  
 Unicum hanc in rem, cujus, ex *Vive*, mentionem facit Arnifæus 26  
*Comm. de Jur. Connub. c. 2. n. 30.* lubet inferere exemplum, Viri  
 cujusdam primarii, qui jucundum captans Matrimonium, du-  
 xerat Uxorem inopem, suâ conditione longè inferiorem, à quâ  
 tamen contemptus & totus, totus floccifactus est. Mortuâ hâc,  
 aliam matrimonio sibi junxerat, suâ conditione & loco dignam,  
 quam ita ipsi inservisse ait, *ac si Verna domi nata esset.* † Uti 27  
 ergo in omni causa, non quod per accidens, sed quod per se, &  
 ex suis causis sequitur, considerandum est, *c. de occidendis 3. C.*  
 23. *Qu. 5.* ita nec hâc doti adscribendum, quod sæpè ex perverso  
 animo, & depravatis quarundam moribus fuit. † Cum verò 28  
 etiam in Imperio nostro *Dotes* sint frequentissima, tantus-  
 que earum favor, ut pro iis plurima introducta sint specialia;  
 idèò pro ingenii viribus eam explicandam, suscepi. † Ne au- 29  
 tem sinistrè judices, benevole Lector, quod iterùm Cathedram  
 conscendam, scias quid me moverit, *UTILITAS* nempè quam  
 ex hoc exercitio percepi magna, & fides Colendissimo Parenti  
 meo, cui vjtæ exactæ & studiorum ratio reddenda venit, de eden-  
 do adhuc ante discessum specimine, data, quam fallere nolui. † 30  
 Tuâ igitur Dexteritate fretus, telam hanc pro virili pertexere,  
 aggrediar. † Quum verò sine dispositione & ordine quid tra- 31  
 ctare confusum foret, Disputationem hanc in tria capita di-  
 spescui, tractaturus in *PRIMO* Vocis expositionem, defini-  
 tionem & divisionem. † In *SECUNDO* *DOTIS* constitu- 32  
 tionem, Dominium & alienationem † in *TERTIO* *DOTIS* 33  
 amissionem & Privilegia. † Ut autem feliciter incipiam, feli- 34  
 cius pergam, & felicissimè finiam, *Tu DEUS Ter Opt. T.*  
*Max. annue captis clementissimè.*

C A P. I.

VOCIS EXPOSITIONEM,  
 DEFINITIONEM ET DIVISIO-  
 NEM CONTINENS.

Λ 3

Non

**N**on hic mihi mens est, diffusam hanc per universum juris pe-  
 lagum materiam, omnesque ejus apices, pertractare: tunc  
 enim præsens discursus in volumen excresceret, sed quantum in-  
 stituti ratio feret, ea quæ apud Autores sparsa inveni, huic in-  
 cludam Disputationi. † Verùm cum eruditionis principium  
 sit verborum intelligentia, quod, ut in aliis disciplinis, ita &  
 maximè in civili hæc sapientia verissimum esse testatur Wissenb.  
 2 in *pr. comm. ad tit. ff. de R. S.* † quippe, cum sine nominis expli-  
 catione rem cognoscere velle, sit nihil agere, argt. *l. ff. de l. & l. l.*  
 3 *ff. de Reb. cred. l. 1. §. 1. ff. de Pactis* † cognitò enim usu vocis, scèpe  
 in ipsam rei cognitionem inducimur, ut Arist. 3. *Metaph.* 2. & 2.  
 4 *Top. 6. monee.* † Meritò, ne quod dicitur, illotis manibus rem  
 ipsam aggrediar, *Etymologiam DOTIS* paucis præ-  
 mittam, † Mutuatù DOTIS vocabulum à Græcis, & quidem de-  
 scendere volunt Dd. à verbo *δίδωμι* vel *δίδω* dono, largior, unde  
*δότης, δότριά, δότης,* & poetice *δῶς*; indeclinabile, datio, donum, Ba-  
 chov. ad *Treutl. Disp. 7. lib. 1. L. A.* Petr. Gregor. Thol. in *Syn. Jur.*  
 6 *Univers. l. 9. c. 17. n. 3.* † Et est *Homonymum* variasq; ad-  
 mittit significationes; † Nam aliquando accipimus *largissime,*  
 7 *pro omni accessione,* ad sufficientiã rei alicujus vel persone  
 8 necessaria, ita accipitur in *l. 52. §. 2. ff. de fidej. & mand.* † ubi  
*Wissl. ad hunc. tit. n. 11.* dotes prædiorum explicat, quod sint,  
*ἐπιθήκαι* Impositiones, ut stercola, boves aratorii, aratra, ligo-  
 nes, pedamenta, Vimina, stabula, casa, raltia, sacci fundo de-  
 stinati, dolia & si quæ id genus alia per *l. 2. §. 1. l. 20. §. 3. l. 8. ff.*  
 9 *de instr. vel instr. leg.* † Ita & Varro *l. 4. de re rustica* Vineam  
 cum sua dote, dicit, quod Tholos. *loc. cit. n. 4.* explicat, cum  
 10 suis pedamentis & viminibus. † Interdum significat  
*id quod nobis præcipuum* est, sive ab hominibus sive  
 aliunde concedatur: ita dicimus, hic Juvenis habet egregias  
 11 animi dotes. † Sic Rahel, cum infœcunda fuisset, & beneficio  
 Dei filium peperisset, dixit; *dotavit me DEus dote bonâ. Gen.*  
*cap. 30.* Ita Scholastici, dotes appellant qualitates spirituum,  
 quas beatorum corpora in vita æterna assumunt. Quales qua-  
 tuor



tuor numerant; impassibilitatem corporum; claritatem, agilitatem & subtilitatem. Plurimum Rever. Dominus Joach. Hildebrand. *Disp. Theol. 7. n. 41. & 42.* † Nonnunquam *large* 12  
Dos dicitur id, *quod datur Moniali*, monasterium, ingredienti; item quod *Ecclesie* vel Capellæ noviter constitutæ & constructæ. Cum enim ipsa censeatur sponsa futuri Sacerdotis, onera quasi Mariti, in celebrandis sacris, subituri, opus est *DOTEM* ei constitui, aliàs nec potest edificari, fundari vel consecrari *Disp. 1. c. cum sit de consecrat. Eccles. vel alt.* † hinc 13  
notissimus ille vel versiculus: *Patronum faciunt Dos edificatio fundus.* † *Proprie verò Dos refertur* 14  
*ad Matrimonium*; & significat I. *Titulum* seu causam l. 47. §. ult. ff. de Pec. t. t. ff. pro Dot. † II. denotat 15  
*id, quod à Muliere vel alio ejus nomine, Marito datur*, l. 1. ff. de Jur. Dot. aut rem in Maritum translata. l. 6. 10. & 11. C. de Jur. Dot. † III. *Jus Marito in re dotali competens*, 16  
l. 3. ff. & l. 20. C. Eod. & l. 9. ff. de Imp. in res Dot. Magnif. Dn. Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. XXX. th. 1.* † Germanicè vocatur *Wittigiff; Heimsiner; Ehesteur; Ehegelt; der Frauen Einbringen; Brautschatz.* 17  
† In Secunda significatione definitio, quod sit *substantia* 18  
*rerum, ab uxore vel ejus nomine, pro sustinendis oneribus matrimonii, marito data vel promissa.* † Dicitur *substantia rerum*, quo indigitem, 19  
dotem non esse rem singularem, contra l. 1. §. 4. de Dot. preleg. † Sed universitatem quandam, seu totum illud quod ab Uxore 20  
ad Maritum pervenit, constitutione in dotem quasi animatum, ut loquitur Magnificus Dominus Strauch Præceptor ac Patronus meus: sanctè mihi devenerandus *Ex. 3. 16. 1.* † Quemad- 21  
modum aliàs substantia pro universitate accipitur l. 51. de petition. hered. l. 3. §. 5. ff. de Contr. tut. & util. act. † Ita Dos 22  
expressè vocatur mulieris substantia in l. 12. C. qui pot. in pign. &

& proprium mulieris patrimonium l. 3. §. 1. ff. de Minorib. l. 16.  
 23 ff. de Rel. & Sumpc. † Additur *ab Uxore, vel ejus*  
*nomine*, non enim ipsa tantum mulier, l. 1. l. 4. l. 16. l. 28. C.  
 de Jur. Dor. Sed & alius seu Pater seu Extraneus (qualis hic est,  
 omnis præter Parentem per virilem sexum ascendentem l. un.  
 §. accedit. 16. C. de Rei Ux. Abt.) dotem constituit. De quo la-  
 24 tius sequenti cap. † *Differentia* loco ponitur; *profu-*  
*stinendis oneribus matrimonii*; Maritus namque,  
 cum onera matrimonii sustinere cogatur, meritò pro hisce fra-  
 ctus ipsius lucro cedunt. l. pro onerib. 20. C. de Jur. Dor. †  
 25 *Data denique vel promissa* annectitur quia non tantum  
 tradita (Quæ aliàs propriè dos dicitur l. 13. §. 2. l. 14. §. pen. ff. de  
 Jur. Dor. Wissenb. ad b. t. Costan. Comm. de Dot. c. 2. n. 12.) sed &  
 26 promissa, nobis consideranda; r. t. de Dot. l. 1. §. 1. ff. de Dot. collat. †  
 Ubi dos, promissa confertur, idè, ne fratres sorori suæ de dote  
 promissa teneantur, & collatione non factâ, Soror Dotem præci-  
 puam habeat. add. Fach. 10. contr. 24.

Ex dictis facilè responderi potest ad quæstionem quæ mo-  
 27 vetur inter DD. *An DOS sit Jus Universale?* †  
 Quamvis enim multi negativam defendant, & inter eos impri-  
 mis Bald. Novelli Tr. de Dote part. 2. n. 4. Ubi multa producit  
 argumenta, hisce tamen satisfacere videtur Ant. Guib. Cost.  
 28 d. l. num. 7. † Ubi firmiter inharendum censet huic opi-  
 nioni, DOTEM esse quid universale, adeoque libellum gene-  
 ralem in causa DORIS admitti. l. ult. C. de Sent. que sine cert.  
 quant. de quo pluribus videatur dictus Aut. cit. loc. & Reusf.  
 part. 3. q. 2.  
 29 † Definitionem meritò excipit Divisio. Dividitur autem  
 30 communiter, in *profecitiam* & *adventitiam*, † *Illæ*,  
 est, quæ à Mulieris Patre ut patre, (ejusve Intuitu l. 5. §. 2. ff. de  
 Jur. Dor.) vel alio in linea paterna ascendente, licet mulierem  
 31 in potestate non habeat, profecta est. † Nam parentum no-  
 men, non autem potestatis jus dotem facit profecitiam l. 5. §. 11,  
 32 ff. de Jur. Dor. †

Hæc

*Hæc*, quæ à Matre mulieris, aut Avo materno vel quo-  
vis alio data est d. l. 1. §. u. ff. de Jur. Dot. l. 6. C. Eod. l. unie. §. ac-  
cedit. c. 13. C. de Rei. U. 257. Dn. Struv. Ex. XXX. ib. IV. Bach.  
an Wesehb. n. 3. ubi monet, hanc distinctionem non esse ge- 33  
neralem, sed dotis, quæ filia datur propriam. † Ex hisce patet, 34  
id etiam doti adventitiæ annumerandum esse, quod Extraneus  
dat filia nomine, ut pro ea in dotem daret, nam illa non potest  
dici profectitia, non enim ad hoc datur, ut ipse parens habeat,  
sed ut pro filia expendat l. 5. §. si quis certam §. 5. 6. C. ult. ff. de Jur.  
Dot. † hinc, quum nomine filia data sit patri, & pater nomine 35  
filiae acceperit, l. 3. ff. de Donat. l. 13. in pr. ff. de acquir. rer. Dom.  
non potest pater in ea filia, cui illa jam acquisita, præjudicare,  
nec conditionem illius facere deteriorem. † 36  
Porro Dos est vel *estimata* vel *inestimata*: † illa 37  
est, quando certum aliquod pretium rebus dotalibus assignatum  
est. † *Hæc* vocatur, quando nullum certum pretium est adje- 38  
ctum, sed absque æstimatione marito tradita. † *Æstimata*, 39  
plenissimum Jus omneque commodum & periculum, omnia  
augmenta, fructus, partus, ad maritum transfert, l. un. C. de Rei  
U. 257. l. 5. §. l. 10. C. de Jur. dot. l. 41. ff. eod. † Unde hic non 40  
tenetur præcisè rem dotalè restituere, sed exhibendo pecuniam  
æstimatam liberatur l. 12. §. 1. ff. de Jur. Dot. l. 10. §. ult. h. l. † 41  
In inestimata, licet Maritus spò modò Dominus sit, quemadmo-  
dum infra latius ostendam, periculum tamen ad mulierem, tan-  
quam Dominam naturalem pertinet l. 10. pr. ff. d. u. † ut 42  
autem hæc rectius intelligantur, sciendum, *æstimationem*  
*fieri dupliciter; vel emtionis celebranda & causa*  
*d. l. 10. §. l. 10. C. Eod. vel solummodo taxationis*  
gratia, ut sciatur qualis res fuerit, & quomodo solutò matrimo-  
nio restituenda. † Posteriori æstimationi, prædicti effectus 43  
attribui nequeunt; † Quando enim constat, eà mente factam 44  
æstimationem, ut res æstimata restituantur, tunc adjectio resti-  
tutionis in individuo, prohibet æstimationem facere emptionem †

& hoc tantum operatur, Ut dolò malò & culpâ maritj pereun-  
 tibus aut diminutis speciebus l. 66. ff. sol. Matr. alio pretiò,  
 quam quò taxata fuerint non possint repeti d. l. 21. C. de Jur. Dot.  
 45 Vid. Tholos. cit. loc. c. 21. num. 3. † Ulterius Dotem dividunt  
 46 *in veram & putativam*, † *Illam dicunt*,  
 47 quæ accedit Matrimonio justo & legitimo † *hanc*, quæ injusto  
 & illegitimo, hoc est quod de Jure vel Civili vel Canonico vel  
 constitutione Principum non subsistit, verbi gr. Cum Servus  
 cum libera, vel consanguinei in gradu prohibito, Matrimonia  
 contrahunt, Beust. dicit. loc. q. 3. Herm. Vult. Com. ad Inst. de  
 Nupt. num. 12. Ubi addit, dotem putativam, dotem magis dici,  
 48 quam esse: quia subjectum ejus, nuptiæ non valent. † Per ac-  
 cidens ergò & ratione effectus Dos dicitur, quatenus, si matri-  
 monio ejusmodi putativo dos accessit, & ex parte femina nihil  
 peccatum, privilegia in hujus repetitione non minus concessa  
 sunt, quam in vera. argt. l. 18. ff. de R. A. Jud. poss. l. 22. S. 2. ff.  
 sol. Matr. Bachov. ad Wesemb. ibique Hahn. b. t. num. 20

## C A P. II.

### DOTIS CONSTITUTIONEM, DOMINIUM ET ALIENATIO- NEM EXPLICANS.

DE Constitutione Dotis diserturus, nonnulla de modo con-  
 stituendi, persona constituente, quibus constituatur, quan-  
 1 ta & qualis constitui oporteat, præmittam. † Circa modum  
 distinguenda constitutio in specie ita dicta, à promissione & ac-  
 2 quisitione. † *Constituitur autem velultima vo-*  
*luntate*, idque tum testamento l. 48. S. 1. ff. de Jur. Dot. l. 71.  
 S. 3. ff. de Cond. & dem. tum codicillis & mortis causa donatione  
 3 l. 76. ff. de Jur. Dot. † Vel *inter vivos* traditione, seu vera  
 4 l. 46. d. r. seu ficta, ut cautione l. 3. S. si ser. ff. de Ad. Emp. † Patien-  
 tia

tiā l. 3. ff. de Usufr. † Acceptilatione, l. 41. §. 2. h. 1. quæ si  
ante matrimonium intercesserit, & nuptiæ non sequantur, ex sen-  
tentia Scevola nulla est l. 43. ff. de Jur. Dot. † Delegatione, 6  
l. 41. §. 3. l. 56. l. 80. pr. ff. de Jur. Dot. † Circa hanc notandum, 7  
quod si Maritus debitores, cum potest, non exigat, & interim fa-  
cultatibus labantur, rem sui periculi faciat, aliter mulieris  
damnum sit l. 49. pr. ff. Sol. Marr. † Cessione l. 2. C. de Obl. 8  
§. 27. † Debiti remissione l. 58. §. 1. §. l. 59. l. 77. Eod. 9  
† *Promittitur* vel stipulatione l. 20. ff. de Jur. Dot. vel 10  
nudā conventionē. † Quamvis enim aliās Pactum Actionem 11  
non pariat, hoc tamen est à lege confirmatum, & ad producendā  
actionem efficax l. 6. C. de Dot. Promiss. l. un. pr. C. de Rei Vx. Aff. 12  
Adde Magnif. Dn. Strauch. Ex. 3. tb. 10. Beat. Dn. Hahn. b. 1.  
n. 6. Eusef. Tr. Connub. p. 3. vers. constituitur. † Patet ex hisce 13  
malè statuisse Bachov. in not. ad Wesenb. tit. de spons. n. 1. datio-  
nem in dotem esse contractum verum, & quidem realem. † 13  
Quemadmodum & errarunt Connanus & Donellus qui contra-  
ctum innominatum, nempe do ut facias, constituerunt; † Rectè 14  
propterea notati, à Dn. Hahnio in notis ad Wesenb. tit. de Spons.  
n. 1. §. tit. de Jur. Dot. n. 2. vers. constituitur. §. num. 4. Eod. † 15  
Illud & hic addendum, tacitam à nonnullis dotis constitutionem  
induci ex. l. 30. l. 40. ff. de Jur. Dot. l. pen. §. 5. ff. sol. Marr. † 16  
Unde inferunt Dd. communiter, pactum dotale in contractu primi  
matrimonii factum, repetitum censi in contractu secundi  
matrimonii. † Verùm rectè monet Sandæus, textus hosce in 17  
telligendos esse, non de secundo matrimonio, sed eodem, inter  
easdem partes, si fortè primum fuerit divortio solutum, renova-  
tò: tunc enim & dos ab initio hujus matrimonii constituta, re-  
petita censetur. Sand. l. 2. t. 2. def. 3. † 18

Constitutā ita dote, adjici solent *Pacta*, quæ dicuntur  
*dotalia*. † Fiunt hæc plerumque de Dotis quantitate aut 19  
de modo Dotis constituendæ, de lucro dotis, rerum in dotem  
datarum æstimatione aliisque quæ matrimonio quomodocun-  
que solutò in disquisitionem venire solent. Vult. *Juriap. Rom.*

20 *lib. 1. cap. XX.* † Hodiè ex consuetudine Germania, Pacta in-  
 entur etiam de aliis rebus, & de futura successione: (quæ  
 etiam si reciproca, de Jure Civili haud valebant *l. ult. ff. de suis &  
 legit. hered. l. 3. C. de collat. l. 15. C. l. 19. C. de Pañ.*) ius disponi-  
 21 tur, † Unde Magnif. Dominus Struv. *Synt. Jur. Civ. Ex. XXX.*  
 22 *ib. 19.* ea dividit in *simplicia & mixta.* † *Illæ*  
 sunt, quæ dotem, donationem propter nuptias & quid in casum  
 mortis in istis obtinere debeat, determinant, vel etiam alia bona  
 (etiam universa. Vid. Sand. *l. 2. Dec. r. 2. def. 3. 4. & defn. 7.*)  
 superstiti assignant conjugum, modò per verba contractus vel do-  
 nationis inter vivos fiat, dilato saltem tempore solutionis in  
 23 diem mortis. † *Hæc*, quæ non solum continent dotis & do-  
 nationis propter nuptias promissionem sed & quæ de futura  
 successione conjugum inter se agunt, verbis ultimæ voluntatis  
 24 concepta. † Et tantum de modis constituendi. Nunc de per-  
 25 sona constituyente & quibus constitui debeat. † *Personarum*  
 verò constituentium, quædam legis necessita-  
 26 te & naturali æquitate adstrictæ sunt, quædam non. † Quæ  
 dotare tenentur, sunt, primò *PATER*, qui non solum Filia  
 dotem dat, sed etiam si ætas & conditio puellæ efflagitat, dare per  
 27 magistratum cogitur *l. 19 ff. de Rit. Nupt.* † Paternum enim  
 officium appellatur, dotem vel donationem propter nuptias,  
 dare pro sua progenie *l. ult. C. de Dor. promiss.* adeò ut si filius-  
 familias pecuniam mutuam acceperit, ut eam pro sorore sua in  
 dotem daret, pater de in rem verso teneatur *l. si filiusfam. 17. ff.*  
 28 *de SC. Macedon.* † Quod tamen ad Patrem divitem restringit  
 B. Carp., *Jurisp. Forens p. 2. Conf. 42. def. 12.* Nam pater  
 inops aut multis debitis involutus, ad dotationem haud obliga-  
 29 tus est, *l. 10. §. 14. Qua in Fraud. credit. l. ult. Cod.* † Secundo  
*Avus*, Nepti dotem dare debet, quoniam officium Avi erga  
 neptem ex officio patris erga filium dependet, & uti pater filia,  
 ita avus, propter filium nepti dotem dare tenetur, *l. 6. ff. de*  
 30 *Collat. C. l. 7. §. ult. ff. de in rem vers.* † Quod tamen de avo  
 paterno intelligendum, nam, si Maternus dederit, tanquam Ex-  
 31 traneus dedisse intelligitur. *l. 45. Solut. Mass.* † Tercio  
*Fra.*

*Frater sororem inopem*, dotare tenetur argt. l. 12. §. 7. de adm. & peric. tutor. † Unde imprimis in terris Saxonie introductum esse consuetudine affirmat, Schneidevv. Comment. ad Inst. de Act. §. Fuerat. 29. n. 97. quod, si pater nobilis decedat, non relicta bonis hereditariis, ex quibus filia commodè & pro statu & conditione suæ personæ dotari possit, licet feuda in dotem dari nequeant, fratres tamen, isto casu teneantur dotare, sorores de bonis feudalibus, secundum dignitatem natalium patris & quantitatem bonorum feudalium; Magnif. Dn. Richter Tr. de priv. cred. disp. §. Carpz. p. 2. const. 46. def. 16. lib. 4. Resp. 65. & Dec. illust. 173. & 174. Magnif. Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 14. Apb. 17.

† Qui ad constitutionem dotis necessariò non tenentur sunt Extranei. † Unde an *Mater* dotare filiam debeat dubitatur? & licet legitimâ filiabus debeat, Nov. 115. c. 3. §. Aliud non tamen ad constitutionem dotis, legis necessitate eam adstringi existimo l. 14. C. de Jur. Dot. Nisi ex magna & probabili causa. d. l. † Aliàs quivis dotem constituere potest l. 33 ff. de Jur. dot. l. 23. C. Eod. & dotem promittens, (modo aliàs sit, obligationis capax) obligatur, ejuscunq; sit sexus aut conditionis l. ult. C. ad Sc. Vellej. †

Persona cui dos constituitur est non tantum filia in potestate patris constituta, l. 19 ff. de Ritu Nupt. Sed & emancipata argt. l. 5. §. 11. ff. de Jur. Dot. †

Sed an pater filia locupletem dotare teneatur, variè sentiunt DD. Affirmantes inter alia hæc producunt argumenta; Quod favorabilior sit causa dotis, quam alimentorum, Gail. lib. 2. Obs. 91. n. 15. cum Dos comparetur legitimæ, quæ ditissimis etiam debeat, alimenta verò non item l. 5. §. 7. ff. de agnoscent. & alend. lib. † Objiciunt etiam l. ult. C. de dot. promiss. Sed ad hanc respondet Arn. Vinnius Sect. Jur. Quasi. lib. 2. cap. 14. agere Imperatorem in ea, de patre habente usufructum in bonis liberorum adventitiis; sed non jubere patrem dotem de suo dare, verum si dotem ultro promiserit, definire, ex cujus bonis hoc pater fecisse cenferi debeat, utrum de bonis propriis

29 ex liberalitate, an de bonis filia; † Quare nec hæc ratio  
 adducta, ut statnam, Patrem filia locupleti dotem dare adscri-  
 ctum esse, me movere potuit, eò minus, cum argumentum à le-  
 40 gitima ad dotem, ob diversitatem rationis nihil probet, † Illa  
 enim mortuò demùm patre debetur, hæc datur à patre vivo, in  
 eum, finem ut filia conditionem matrimonii inveniatur, l. 2. ff. de  
 41 Jur. Dot. † Si itaque filia ob propria bona talem conditio-  
 nem reperire potest, omninò cessare causam onerandi patrem  
 42 ex B. Carpz. P. 2. Const. 42. Def. 13. num. 4. firmiter statuo; †  
 Falsum quoque est, D O T I S causam favorabiliorem esse causâ  
 alimentorum: Nullum enim, cui inicitur, video fundamentum:  
 Nam alimenta de jure naturali debentur, Dos verò non æquè,  
 cum igitur Illa non debeat pater filia, locupleti l. 5. §. 7. ff. de  
 43 Agnosc. lib. & Par. multò minus D O T E M. † Distinguens ta-  
 men cum supra citato Vinnio concludo, quod, si filia habeat  
 quædam bona libera, plenò jure ex bonis Maternis, aut aliunde;  
 quorum usufructum pater non habet, unde honestè pro condi-  
 tione suæ personæ dotari queat, pater ad eam de suo dotandam  
 44 cogi non possit. † Si vero filia nulla bona propria habeat,  
 aut nudam tantum bonorum proprietatem, usufructu apud Pa-  
 trem constitutò, pater aut ex suo patrimonio Dotem dare de-  
 bet, aut remisò usufructu, quem in bonis filia habuit, plenum  
 45 eorum jus ex causa dotis in filiam transferre. †

Succedit alia Quæstio, *de filia qua sine consensu*  
 46 *patris nupsit*, an eam pater dotare teneatur? † Commu-  
 niter distinguunt DD. an digno an indigno nupsit; Si di-  
 gno, subdistinguunt, an dotem promiserit nec ne: priori casu,  
 ajuunt filiam dotari oportere, eò quod Maritum elegerit dignum;  
 47 Secundo casu eum non teneri affirmant. † Quæ sententia, si  
 per dignum intelligas eum, ubi causam dissensus vel nullam, vel  
 non justam prætereundè possunt parentes, adeò improbanda,  
 non est, Tunc enim etiam jure Civili, ex constitutione Divorum  
 Severi & Antonini, coguntur parentes in matrimonium collo-  
 48 care & dotare filiam l. 19. ff. de Rit. Nups. l. 18. C. Eod. † Nec  
*obstat* quod, nisi consensus Parentù interveniat, nullum sit ma-  
 trimo.



trimonium, nulla Dos. §. pen. *Inst. de Nupt. l. 1. ff. de Stat. Hom.*  
utpote quæ absque Matrimonio esse non potest, l. 3. ff. *de Jur.*  
*Dor.* † *Respondetur* enim, hoc in casu parentes sese indignos 49  
facere morositate suâ, paternò nomine; † Unde permissu & 50  
Decretò Consistoriorum, invitis etiam parentibus, *Matrimo-*  
*onium contrahere* permittitur, ut ex Heigio, Gerharo,  
Harprechto & Ord. Eccl. Eleſt. Saxon. probat Carpz. *Jurispr.*  
*Consistor. l. 2. def. 53.* ubi elegantem citat locum, in quo Lu-  
therus ejusmodi dissentum vocat *Baurischen Muthwillen* / &  
parentes absque causa consensum denegantes *Grobe Rungen*  
additâ ratione, *Dañ väterliche Macht den Eltern von Gott gege-*  
*ben/ nicht zum Muthwillen/ noch zum Schaden der Kinder/ son-*  
*dern dieselbe zu fordern und zu helfen/ und wer der väterlichen*  
*Macht anders brauchet/ der verleuret sie damit/ und soll nicht Vater*  
*sondern Feind und Verderber seiner eigenen Kinder geachtet wer-*  
*den.* † *Accedit* & hæc ratio, quod aliàs denegando consensum, 51  
Pater per indirectum in fraudem legis, oneri dotandi filiam sese  
subtrahere possit.

† *De Filia Monasterium ingrediente*, 52  
nulli dubium erit, quin pater ei dotem constituere teneatur,  
consideranti, validum esse argumentû à matrimonio carnali ad  
spirituale; † Verùm eam *quæ à verâ pietate & reli-* 53  
*gione describit*, Pater, dotare non tenetur, nisi Pater æquè  
hæreticus esset, tunc enim recriminatio paria delicta tolleretur  
l. 3. *de Eo per quem fact. erit*, Vid. pluribus Schneidevv. sæpè  
cit. loc. n. 89. 90. & seqq. †

Hactenus de personis, proximum erit ut de *Quantitate*, 54  
agam. † Hæc autem in Jure nostro definita non reperitur,  
Legè Divina; ait Bodin., l. 5. *de Republ.* dotem maximam quin-  
quaginta sicilîs (de Siclo Sanctuarii, Regio & Comuni, Vid.  
Paul. Crell. cum add. Dan. Fessellii in *Concord. Bibl.*) consti-  
tutam habemus, citat hanc in rem c. 22. v. 29. Verùm, quod &  
notat Arnifæus *de Jure Connub. c. 3. Sect. 8. num. 17.* Nihil ex hoc  
loco colligitur. Non enim ibi determinatur Dos, sed consti-  
tuitur

56 tuitur poena, irroganda marito, qui uxorem adulterii falsò infi-  
mulavit, solvenda patri innocentis. † Exodi 22. vers. 17. fit  
quidem mentio D O T I S, quam virgines accipere consueve-  
runt, sed & hunc txt. Glossa in Bibl. Ernest. explicat, Nach der  
57 Person und ihres Standes Gelegenheit. † Alias, nonnullos  
populos de certâ quantitate certas promulgasse leges testatur,  
jam cit. Arnif. d. Comm. Pol. de iur. Connab. c. 3. num. 18. videli-  
cet Venetos qui Patritiis terminum dotis constituerunt sex mil-  
58 lia ducatorum aureorum. † Caroli IX. Gallorum Regis, tra-  
dente Eodem, Lex fuit 1563.

*Ne pourront les peres &  
meres ajeul & ajeule en marians leurs filles es  
villes de nostre Royaume, pays, terres & Sei-  
gneuries, de nostre obeissance, excéder la somme  
de dix mille livre tournois, a laquelle avons mo-  
derè le plus haut dot, de constitution de mariage.*

lib. 5. corp. Gall. l. 2. Quam tamen legem non antiquitate sed  
novitate suâ evanuisse tradit, Bodin. d. l. 5. Ubi Henrici II.  
Constitutione D O T E M quadringenta aureorum millib. definitam  
59 fuisse simul affirmat. † Priscis seculis Dos apud Romanos  
erat æs grave, hinc decem millia æris dotes non excessere.  
Postcâ corruptis moribus 40. Millia, quam & ipsam summam,  
tandem supergressa M E G U L I A & quod quinquaginta mil-  
lia dotem dedisset, dotatæ nomen tulit. Alex. ab Alex. Lib.

60 4. c. 3. †

Exsurgit hinc quæstio, à Politicis agitata *an certam  
dotem determinare Reip. expediat?* Pro affir-  
mativa hæc potissimum stat ratio, quod Reipubl. interfit, ne ex-  
hauriantur familiæ, & ut patrum cupiditati & arrogantie meta  
ponatur, ne dum inconsultò superiorum nuptias ambiunt, am-  
pliores promittant D O T E M quam cui exolvendæ, universa  
61 sufficiant bona. † Pro negativâ urgent, quod quilibet rerum  
suarum sit liberrimus Moderator & arbiter, l. s. C. Mand. quòd  
hoc dominium sit ex jure gentium, & sine urgente necessitate

nc-

nequeat auferri, adeoque nec Princeps possit prohibere, ne quis  
amicos sibi & Generos suis quarat opibus: quodque non sit illi-  
citurum, aliquem promissis divitiis ad Matrimonium invitare,  
*L. 17. §. de Cond. & demonst. l. 1. C. de Insti. & Subst.* † Ego, 62  
tam divitibus quam pauperibus æqualem, adeoque juxta pro-  
portionem arithmeticam, velle præscribere dotem, cum Arnif.  
inconveniens esse, imò iniquum existimo. *Tr. de Jur. Conzub. c. 3.*  
*sect. 8. n. 16. & seqq.* † Si verò secundum proportionem ordi- 63  
nis & census certa Dos determinetur, causam, cur ejusmodi  
leges, dotes restringentes improbem vix video. † 64

Hodiè Dos semper pro modo facultatum constitui debet.  
Etque quantitas illa vel definita vel indefinita. Definita, cum  
quantum Doris nomine constituatur, partium conventionem ex-  
pressum est, veluti cum mulier fundum, certam pecuniæ quan-  
tatem, aut omnia sua bona in dotem esse vult, ut in *l. 4. C. de Jur.*  
*Dot.* † Indefinita est, quando Dos non facta certæ quantita- 65  
tis mentione simpliciter promittitur. † Hinc quæritur an in- 66  
definita quantitate Dos utiliter promittatur? Et utiliter pro-  
mitti colligitur ex Respons. Papiniani, *l. 69. §. Gener. 4. ff. de*  
*Jur. Dot.* † Quem textum generaliter intelligendum non, 67  
pauci contendunt, adeoque sive à Patre, Muliere, seu Socero seu  
Extraneo facta promissio, efficacè ad producendam *ex l. 6. C. Dor.*  
*Promiss.* conditionem, statuunt † & quidem Bachov. in *Not. ad* 68  
*Wesemb. n. 5.* his movetur rationibus. 1. quod ratio *l. 69. §. 4.*  
*ff. de Jur. Dot.* sit generalis 2. textus etiam *d. l. 3. C. de Dor.*  
*Promiss.* loquatur de Extraneo 3. quod Maritus non debeat de- 69  
cipi. † Ad textum etiam, *l. 1. C. de Dor. Promiss.* respondere  
conatur distinguendò; an simpliciter dictum fuerit, dotem da-  
tam iri, an vero disertè, à certa persona pactò vel stipulatione dos  
promissa. † Verùm 1. hæc Responsio est contra *ex l. 1. ibi* 70  
enim ipsa mulier dotem dare promiserat. Difficultas ergò re-  
manet. † Ego cum DD. communiter distinguo, an Dos in-  
definitè promissa sit, adjectò arbitriò, ubi, si arbitrium fuerit se-  
cutum, valet promissio; † an ncn: Si nulla mentio facta arbitrii, 72  
aut illud non sequatur, distinguendum cum *Wesemb. & DD.* in-  
ter Patrem & mulierem sive extraneum, Magnif. Dominus  
Strauch.

- 73 Strauch. *diff. Dissert. 4. th. 10.* † Rationem diversitatis ex Her-  
menopulo reddit. Wissemb. *d. rit. n. 13.* hanc, quod promissioni  
à Patre factæ insit arbitrium boni Viri (quod & in *l. 7.* innuitur.)  
74 secus in eâ, quæ sit à Muliere vel Extraneo † Ad Bâchov.  
rationes responderet Beatus Dn. Hahn. *ad Wesemb. rit. de  
Jur. Dot. numer. 5.* Decisionem hic non esse sumendam,  
ex favore dotis, sed exinde, quod obligatio Extranei nihil certi  
contineat, qui nec succedaneæ, sive in subsidium obligetur, Pa-  
tris verò obligatio certum quid habeat ex juris constitutione.  
75 † Aliter hanc rem explicat, Anton. Faber. *in C. l. 7. tit. 6.* sta-  
tuens, quod nec Pater teneatur ex incerta promissione; utpote  
quæ non valeat, nec favore etiam dotis sustineatur, sed quia,  
etiã si nullam promississet tamen ad dotandam pro facultatibus  
filiam ex officio paterno teneretur *diff. loc. add. Fachin. s. Contr.*  
76 75. Brunn. *in Comm. ad l. 1. C. de Dot. Promiss.* †  
*Dari* in Dotem possunt *res omnes, qua in com-  
mercio sunt*, sive mobiles, sive imobiles sint *l. 42. § seqq.  
ff. de Jur. Dot.* Sive corporales sive incorporales, ut nomina (ipsam  
quoq; creditum marito *l. 77. ff. eod.*) Actiones, Jus hereditarium  
*l. 13. §. 10. ff. de pet. hered.* Magnif. Dn. Struv. *Synt. Jur. Civ.  
Exer. XXX. th. VI.* Ususfructus *l. 17. § seqq. C. de Jur. Dot. l. ult.*  
77 *§. 2. C. Eod.* † Res autem quæ in dotem dantur sunt vel æsti-  
mata, vel inæstimate; Æstimatarum plenissimum jus Maritus  
consequitur, ita ut commodum ac periculum ad eum spectet,  
78 *l. 1. C. de Rei Ux. Ali.* † Unde si Uxor vestes æstimatas dederit, eas-  
que atterat, maritus ei novas reddere debet. *l. 10. ff. de Jur. Dot.*  
79 † Inæstimatarum verò omne periculum ad Mulierem, tan-  
quam Dominam naturalem pertinet. *d. l. 10. ff. de Jur. Dot.*  
Cum verò non solum res propriæ, de quibus nulli dubium erit,  
sed & interdum *alienæ* in dotem dentur, videndam, quid de  
80 illis obtineat. † Distinguo autem cum Magnif. Dn. Struvio  
*diff. Exer. th. X. ex l. 1. C. de Jur. Dot.* *Vel initio fuit  
promissio interposita, vel statim à datione do-  
tis constitutio capit,* seu non precedente pollicitatione;

Aut

Aut stipulatione dos est data; † *Priori casu* ob dotem evi- 81  
ctam *datur actio* ex stipulatu, non enim videtur promi- 82  
sioni dotis, cui onerosa causa subest satisfacisse, qui rem alienam  
praestitit; † *Posteriori casu* subdividuo, *an dos fue-* 82  
*rit data aestimata*; & quia emptio & venditio videtur  
inita l. 10. §. 1. ff. de Jur. Dot. l. 5. C. Eod. Actio ex empto ob  
evictionem competit, *an vero simpliciter non aestima-*  
*ta bona fide* fuerit data, & quia rem dedit eò quò habuit  
jure, & nulla conventio praecessit ex qua possit dari actio, ra- 83  
tione evictionis non tenetur; † Si autem dolus dantis inter-  
cesserit, actio de dolo contra extraneum vel in factum contra  
Socerum aut Mulierem competit. † Quamvis autem bona 84  
fide re aliena in dotem data, non detur actio ad evictionem pra-  
standam, Pater tamen ex officio paterno ad aliam constituen-  
dam dotem tenebitur, Imò & Mulier ex ficta à Justiniano in- 10  
trodacta stipulatione, pro rebus dotalibus evictis obligatur l. un.  
§. 1. C. de R. U. A. Hæc Magnif. Dn. Struv. Syn. Jur. Civ. Exerc.  
XXX. tot. tb. add. Schneidevvin. Comm. ad Inst. de Actio, §. 29. n. 46. 20  
† Bruñ. ad d. l. 5. C. de Jur. dot. Et hæc de rebus dixisse sufficiat. 85

*Ad Rerum in dotem datarum dominium*  
*transeo*, quod varios variè disputasse video. † Ultri- 86  
que illud tribuendum videtur, sed divero respectu, nam  
*Mulieri competit, quatenus ab illa vel ra-*  
*tione illius a Patre dos est constituta*, & non  
simpliciter, sed certò modò solum quamdiu matrimo-  
nium durat, ad Maritum sub ista qualitate civili est translata,  
ad Mulierem verò solutò Matrimonio reversura Laud. Dn.  
Struv. dist. Exerc. tb. 3. † Dicitur enim in l. un. §. & hoc 14. C. 87  
de R. U. A. & in l. 3. §. Ergo. ff. de Minor. dos etiam vivo patre  
proprium patrimonium Mulieris, in l. 16. ff. de Relig. & Sumpt.  
funer. Mulieres dicuntur de suis dotibus, quasi de suis patrimo-  
niis funerandæ, & in l. 7. ff. de Jur. Dot. si res dotalis culpa mariti  
in-

- interdicant, & dolum & culpam illum præstare oportere, quæ  
 88 tamen in rebus propriis nemo præstat; † Hinc commoda, quæ  
 non ut fructus ex re proveniunt, sed jure domini accedunt, non  
 spectant irrevocabiliter ad Maritum, sed eò, quo Dos ipsa, finito  
 89 matrimonio cedunt. † *Marito* autem dominium Doris  
 adscribendum quatenus scilicet ex causa dotis res marito est tra-  
 dita, seu *quatenus legum subtilitate, quibus illa*  
*qualitas dotalis est inducta, in Patrimo-*  
*nium Mariti transit*, Magnif. Dn. Struv. *dist. Exerc.*  
 90 *ib. XII.* † Hinc solus vindicat, defendit, omnia denique velut  
 Dominus in rebus dotalibus agit. Competit enim ipsi rerum,  
 Mobilium alienatio, rei qualitate dotali affectæ vindicatio, l. 9.  
 91 *C. de Rei. Vind.* de re dotali subtractâ, actio Furti, l. 49. *ff. de Furt.*  
 & de damno dato, actio l. 18. §. 1. *ff. Solut. Matr.* Dn. Struv. *dist.*  
 92 *loc.* † Ex quib. apparet, tam penes Mulierem, quàm Maritum  
 Dotis dominium esse, sed penes Mulierem Naturale; penes Ma-  
 ritum Civile, quod subtili quadam juris fictione fieri ait,  
 93 Schneidevy. *cit. loc. n. 6.* † Nec obstat duos non posse esse  
 ejusdem rei in solidum Dominos l. 1. §. ult. *ff. Commod.* Diver-  
 94 sum enim in persona utriusq; uti dictum, considero Dominium.  
 † Illarum autem rerum, quæ æstimatæ in dotem datæ sunt,  
 dominium omnino, quasi contracta emptione in Maritum trans-  
 95 fertur, l. 10. in pr. §. 1. l. 16. §. 17. §. 1. *ff. de Jur. Dot.* † Quem-  
 admodum etiam rerum quæ in pondere numero aut mensura  
 consistunt, liberum marito competit Dominium, ita tamen, ut  
 solutò matrimoniò, ejusdem generis & qualitatis alias restituat.  
 Magnif. Dn. Struv. *dist. Ex. ib. 14.* Nobiliss. Dn. Bechman, Præ-  
 ceptor ac Patronus meus sanctè venerandus, *Comm. ad b. t.*  
 95 Ubi varias adducit distinctiones. †

Hinc fuit ultima in hoc capite *Quæstio An maritus*  
*eò quò dixi modò Dominus, res dotales possit*  
*pro lubitu alienare?* quod nego, ad eò ut etiam consen-  
 sentie Uxore, id ipsum facere nequeat, §. 1. *Inst. quibus Alien. lic.*  
 l. 1.

*l. r. §. 15. C. de Rei. Ux. adf.* † tūm ne illa re sua privetur, tūm pu- 96  
 blicæ utilitatis gratiâ, quūm interfit Reipubl. Mulieres esse do-  
 tatas, *l. 1. ff. de Iur. Dot.* † Nec obstat huic asserto quod dixi, 97  
 Maritum esse Dominum dotis. Habet Dominium, sed non  
 absolutum, verum limitatum. † Omnia enim quæ marito con- 98  
 cessa sunt, respectum ad Matrimonium & onera ejusdem, *l. 7. ff.*  
*de Iur. Dot.* involvunt, unde Marito libera alienatio, propter  
 Dominium quod habet revocabile saltem, denegatur. † 99  
*Limitant* tamen DD. *in alienatione consensu*  
*Mulieris juramento firmata*, hæc enim (quamvis  
 forè Jure Civili secūs Johan Philipp. *in Usu Inst. Pract. l. 2.*  
*Eccl. 40. n. 8. & 9.*) de jure canonico servanda. *c. cum contingat.*  
*X. de Iur. Iur.* † II. Si *prædium æstimatum fuerit* 100  
*datum*, tali æstimatiõne, quæ emptionem facit. Tunc enim  
 alienare potest, quia commodum ac periculum ad eum pertinet,  
 Schneidevv. *dict. loc. n. 9.* quare ad res æstimatas, illam alic-  
 nandi prohibitionem non pertinere, testatur Dn. Struv. *act.*  
*Exec. tb. 21.* † Aliud si saltem æstimatio facta fuerit, ut scia- 101  
 tur quanti plus vel minus valeat res tempore restitutionis, ut vel  
 maritus cogatur refarcire deteriorationem rei dotalis, veluti  
*l. 21. C. de Iur. Dot.* Vel uxor habeat electionem, pactõ forsan  
 reservatam (si enim nihil convenerit, Mariti erit Electio) utrum  
 solutõ matrimonio velit rem ipsam, an æstimatiõnem rei, juxta  
*l. 10. ff. Eod.* † III. Si *pecunia ex venditiõne redacta,* 102  
*conversa sit in comparatiõnem fundi utilioris,*  
*l. 26. l. 27. & 61. §. 1. l. fin. de Iur. Dot.* Dominus Struv. *act.* Ex  
*tb. 21.* † IV. Si Dos fuerit *data in moneta* vel alia re, 103  
 quæ pondere numero aut mensura constat, has enim res pro ar-  
 bitrio distrahere potest, modõ solutõ Matrimonio, ejusdem ge-  
 neris & qualitatis alias restituat, *l. 42 ff. de Iur. Dot.* † Hoc autem 104  
 casu ut securè possit alienare, requirunt Dd. ut Maritus solvendo  
 sit, & habeat alia bona, ex quibus Mulieri consuli possit. Schnei-  
 devv. *dict. loc. n. 12.* † Notandum quoq; est, usu & jure Saxonico, 105  
 etiam

de etiam absque Jurejuramento Uxoris, alienationem à Marito factam  
valere, dummodò de consensu ejus constet, & specialis adhibea-  
tur Curator. Carpz. p. 2. *Consi.* 15. *Def.* 21. *Decis. illust.* 143. n. 28.  
Brunn. *ad l.* 2. *C. de Fund. Dot.* Philipp. *in Usu Pract. d. Eccl.* 40.  
106 *in fm.* † Quidam distinguunt inter bona Uxoris extra dotem  
posita, quæ maritum alienare posse cum consensu uxoris dicunt  
Wesemb. *in Parat. de Fund. Dot.* &, inter res dotales, in quibus  
anhuc L. Julia prohibitionem obtinere putat Matth. Wesemb.  
11 *Conf.* 25. n. 17. & 2. *Conf.* 63. & seqq. De his tamen vide Bach.  
*in Not. ad Wesemb. ibique Hahnium in Observ. ad tit. de fundo*  
*dotali. num. 7.*

### C A P. III.

## DOTIS AMISSIONEM ET PRIVILEGIA EXHIBENS.

- 1 Quamvis Dos sit concessa, ut oneribus Matrimonii deserviat,
- 2 & eò solutò salva maneat Mulieri; † Evenit tamen, ut con-  
stante Matrimonio quandoque repetatur, eòque solutò mulier  
eam amittat, & Maritus lucretur. Quapropter operæ pretium  
me facturum duco, si de amissione egero, & quibus ex causis
- 3 Dos amittatur paucis dixerò. †

Amittitur autem *ex parte mulieris adulterio,*

1. *consensu s. s. ult. C. de Repud. & l. 12. ff. ad L. Jul. de Adult.*
- 4 ita ut vir eam lucretur, *h. un. C. de Rei Ux. Ali.* † Quod etiam  
de jure Canonico obtinere non obscure apparet *ex cap. plerum-*  
*que 4. de Don. inter Vir. & Uxor* Declaratur autem hæc regula,  
quod procedat liberis non extantibus. Aliàs liberis quoad pro-  
prietatè conservatur; Marito verò usufructus ad vitam debetur,  
5 quò mortuò, plenum jus liberis acquiritur. † *Limitatur,*  
denique à DD. multifariam I. Si Mulieri per vim inferatur  
adulterium, II. Maritus sciverit & non vindicaverit, sed potius  
101 III. post commissum adulterium, eam carnaliter cognoverit.

IV. Si



IV. Si vir cum alia adulterium commiserit. † Quamvis enim  
quoad publicam vindictam, non admittatur compensatio, Berl.  
p. 4. Concl. 27. n. 63. Secus tamen est quoad amissionem Dotis.  
l. 39. ff. Solut. Matr. C. Intelleximus vers. quod si: X. de Adult.  
V. Si consensu Mariti, VI. Si ignoranter adulterium commi-  
serit, modo non sit crassa & supina negligentia, Vid. Berlich.  
p. 4. Concl. 29. n. 44. & seqq. †

Quaritur autem hic *an mortuo marito ejus ha-  
redes de adulterio conqueri & vel ad conse-  
quendam dotem agere vel ad retinendam ex-  
cipere possint?* † Ego rejecis DD. distinctionibus An sci-  
verit maritus adulterium, an ignoraverit, aut dubitaverit; an  
per viam actionis, an exceptionis experiatur, dico, Heredes  
mariti, contra ejus Viduam ad dotem consequendam nec agere,  
nec pro retinenda excipere posse. † Motus hanc solam ratione,  
quod hanc actio vel exceptio tendat ad meram vindictam, qua-  
les actiones nec active; nec passive ad heredes, seu Civiliter,  
seu criminaliter agatur, siue sciverit defunctus, siue non, trans-  
eunt. l. 3. ff. de Publ. Ind. add. Gothofr. l. 2. C. si Reus vel Ad.  
Mort. Ibiq. Brun. S. i. Inst. de perpet. & temp. Ad. ibi: excepta  
injuriarum actione & si qua ei similis. add. Cost. c. 6. num. 27.  
† Nec obstat l. ult. C. ad L. Jul. Maj. De jure Saxonico ex-  
pressam habemus sanctionem, p. 4. Const. 41. ad quam Vid.  
Carpz. & Berlich. Concl. 30. n. 17. ubi limitationes invenies &  
imprimis, quod hanc constitutio ad Suos tantum pertineat,  
quemadmodum etiam responderunt, Jcti Jenenses Mens. Apr.  
An. 1647. Suos autem hic non stricte intelligendos monet, ci-  
tat. loc. Berlich. †

Sed, quid de *stuprata ab alio, quae Virginem  
se vendit ando alteri nupsit*, an detecta fraude & di-  
vortio facta dotem amittat? † Et responsum fuit in Scabinatu  
nostro Praetori Magdeb. Anno 1617. quod licet relegatione  
plectatur, non tamen ob id dotem amittat, quia stuprum hoc est,  
non

- 13 non adulterium. † De eâ autem *quæ post mortem mariti stuprum admisit, an amittat dotem*, nec ne, inter se contendant DD. Affirmantium nubem; cum suis rationibus videbis apud Berlich. d. p. 4. Concl. 31. num. 5. Carpz.
- 14 *Decis. Illustr. p. 2. Dec. 181. n. 2.* † Nec minor tamen negantium est numerus, adductus à Berlichio, *dict. num. 2.* Carpz. d. l. n. 3. & in *Prax. Crim. p. 2. q. 65.* in quorum sententiam utpotè fir-
- 15 miori fundamento nixam & ego descendo. † I. per Noyell.
- 16 *de Restit. 39. c. 2.* † II. quod nostrum non sit pœnas extendere, multo minus privationis pœnam imponere absque lege.
- 17 *argt. l. 14. S. de Rel. & Sumpt. Fun.* † III. quod absurdum eandem adulterio & stupro imponere pœnam. † IV. quod solutò matrimonii dos non amplius sit, sed mulieris patrimonium.
- 19 reliquis bonis Uxoris aggregatum. † V. quod Dispositio loquens de Uxore, præsertim in odiosis, intelligenda, de uxore
- 20 præsentis, quæ actu talis, non quæ fuit. † Rectè ergo Dos à donatione propter nuptias aliisque lucris, quæ à marito sequi & lucrari poterat mulier, separatur: cum in Dote de re sua amittenda certet, in illis lucrum ex persona mariti captes, Dos est proprium uxoris patrimonium, quod ei Maritus sine appro-
- 21 bata jure causa, auferre non potest. † Secus in hereditatibus, Legatis, donationibus, & similibus quæ maritus facilius revo-
- 22 care potest, & revocasse præsumitur, si ei illata injuria. † Ad rationes dissentientium respondentes, vid. Menoch. *arb. jud. quæst. centur. 3. Cas. 287. n. 29. & seqq.* Berl. d. concl. 31. num. 17. & seqq. add. Dn Hahn. *ad Wesemb. tit. Solar. Matr. n. 14.* Peretz.
- 23 *in C. Eod. tit. n. 19.* † Idem, quod neimpe dos amittatur, de *malitiosa desertrice* dicendum, uti Scab. Jen. Mens.
- 24 April. An. 1645. pronunciarunt. †

*Ob Osculum autè mulier dotem an amittat*  
 Quæritur? Beguinarum errorem fuisse hunc, quod statuerint mulieris Osculum (cum ad hoc naturaliter non inclinet) esse mortale peccatum, Actum autem carnalem, maximè cum tentatur Exerrens, peccatum non esse, notavit & condemnavit Cle-

Clemens V. in Concilio Vienens. cap. f. de Hæret. in Clement.  
† Ab his si responsum petiisses, absque dubio affirmative re- 25  
spondissent. † Italis quoque & Hispanis oscula adeo suspecta 26  
esse, ut ex eo arguant uxorem adulteram; ejusque causâ dote,  
privandam censeant, ex Joh. à Ripa tradit Tholof. *Syn. jur. Univ.*  
*l. 3. c. 8. num. 25.* † Inde libidinis prænuucia, & adulterii præ- 27  
hudia certissima dicuntur, imò quædam fruitio censentur; Unde  
interueniente osculo, dimidia pars rei donata, à sponsis super-  
stiti cedit *l. 16. in pr. C. de donat. ant. Nupt.* † Ego tamen ob 28  
oscula etiam *luxuriosa*, nisi aliæ circumstantiæ accedant,  
mulierem dote non esse privandam arbitror, † tum quod defi- 29  
ciente lege, privationis hæc pœnam inducere erubescamus, † 30  
tum quod quamvis suavia ejusmodi, & *columbaria oscula*  
Vid. Arist. *l. 1. de Hist. an. c. 1.* propinquum copulæ carnalis  
actum constituant, adeoque præsumptionem adulterii inducant,  
tamen, quia ad probandum adulterium præsumptiones non  
sufficiunt, sed manifesta probationes aut conjecturæ non dubiæ  
*c. 12. x. de Presumpt. Magnif. p. m. Ungep. Com. in Decr. tit. de*  
*Adult. n. 5.* requiruntur, † & ob *Suavia* divortium non 31  
permittatur, *Carpz. Jurispr. Consist. Def. 189.* nec dotem mulie-  
rem exinde amittere sequitur. † Quin & iis in locis, ubi mo- 32  
res regionum, ut liberè oscula veluti in *Gallia, Belgio,*  
ut & nonnullis *Germania* nostræ oris, figere liceat, ferunt,  
nec firmam inde adulterii præsumptionem oriri existimo. † 33  
Sæpe enim ibi *inania oscula* sibi dantur: de quibus Puella,  
apud Theoreticum, *Eidil. 28.*

*Inane Osculum* --- --- ---

*Lavo os meum, & osculum despuo*

† Hæc de amissione Dotis ex parte Uxoris: *Ex parte* 34  
*Mariti ob adulterium, hæresin & malitiosam,*  
*disertionem* non minus. (iis nempe in casibus quibus alias  
dotem lucraretur) amitti, dubio caret. *c. non machaberis 32.*

D

qu. 6.

qu. 6. Nov. 22. c. 15. Nov. 117. c. 8. Coler. Decis. 176. tenentur  
35 enim uxor & Maritus ad æqualia. † De *desertione* quidem  
in foro Sax. quondam disputatum, Mod. Pist. p. 2. qu. 90. hodie  
36 res decisa, p. 3. Const. 26. add. Carpzov. d. const. Def. 1. †  
*Malitiosam* autem dixi desertionem. Desertor enim non  
censendus, qui vel *officii ergo* vel ex alia saltem probabili  
causa, diutius abest; *Verum* qui à conjugē nullā iustā causā  
coactus, sed vel levitate vel injustā impatientiā freni conjugalis  
37 impulsus, discedit. Berl. p. 3. Concl. 36. num. 17. † Non autē  
tem *perpetua* requiritur desertio; Unde qui conjugem peste,  
vel etiam alio morbo v. gr. puerperio laborantem ad tempus  
38 deserit, dotem amittit, juxta tradita, Carpzov. Berl. dist. 11. †  
Quod tamen intelligendum si uxori *agra*, de medico & me-  
dicamentis, cum id facere potuisset non prospexerit, & Uxor  
39 fuerit mortua. † Ubi tamen præsumptio quæ est pro marito,  
onus probandi transfert in adversarium. Carpz. d. l. Def. 4. Berl.  
d. l. n. 12. & 199. ubi n. 46. & 199. limitationes plures.  
40 † Causam quoque amittendæ dotis DD. constituunt.  
*Si verberet & expellat uxorem*, Carpz. d. l. Def. 6.  
quod tamen rectè videtur restringere Berl. ad eum casum, si ex-  
pulsus vel ex frigore, vel alio infortunio in exilio moriatur, d. l.  
41 num. 24. † Ea etiam iusta amittendæ dotis reputatur causa,  
*si alimenta ei negaverit*, cum denegans alimenta  
necessasse censeatur, l. 1. ff. de lib. agnosci. add. l. 6. ff. de alim. l. 23.  
42 ff. de V. S. † Quod tamen & ipsum, Dd. dupliciter limitant,  
& restringunt ad eos casus, si ex defectu alimentorum mulier  
decesserit argi. l. 22. §. 8. ff. Solut. Marr. & dos promissa, fuerit  
soluta, Coler. Decis. 257. n. 6. Carpz. dist. 1. def. 5. Berl. d. l. n.  
43 49. & 50. † Addunt & aliam Dd. *si necem mulieris*  
44 *fuerit molitus*, Carpz. d. l. Def. 7. Boer. Decis. 26. n. 2. †  
*Sed quid si Uxorem in flagranti adulterii cri-  
mine deprehensam occiderit? an & tum dotem*  
amit-

amittat. † Affirmativa communis defenditur, argt. l. 10. § 1. 45  
ff. solat. Matr. vid. Julius Clar. l. 5. sent. §. homicidium num. 22.  
Br. Jason. Cöler. citati à Berl. d. Concl. 36. num. 5. Carpz. d. l.  
Def. 7. num. 3. Jacob. Butrig. Tr. de Dote num. 26. Beusl. Tr. de  
Jur. Connub. p. 3. c. 6. † Addunt & illam, Si uxor ab alio fue- 46  
rit occisa, cujus *necem maritus*, qui occisorem novit,  
*vindicare nolvit*, vid. Pensold. in add. ad Col. p. 2. Dec.  
256. Berl. & Carpzov. ad loc. Ubi & de remissione conjugum,  
tãni tacita quam expressa, item de separatione quoad thorum &  
mensam plura videbis Def. 13. 14. & 15.

† Agendum jam esset de *Dotis lucro* & ad quem, 47  
solutio marimonio Dos revertatur. Verum, cum accuratè per  
varias divisiones & subdivisiones hæc pertractaverit Magnif.  
Dn. Struv. Ex. XXX. th. 49 & 50. me eò remitto. add. ibid.  
allegatos. Magnif. Dn. Strauch. Ex. 3. th. 18. Nobiliss. p. m.  
Dn. Hahn. ad tit. Sol. Matr. ibique Peretz.

† De *Actionibus* etiam tum Marito, tum Uxori 48  
competentibus, latissimus sese hic dicendi campus aperiret.  
Sed paucis & I. de *Marito*. † *Aut dos non est* 49  
*promissa*, & nihilominus Maritus à Socero *locuplete*,  
dotem congruam exigere, & pro eâ constituenda officium judi-  
cis implorare potest. l. 19 ff. de Ric. Nupt. Gail. 2. obs. 17. Carpz.  
p. 1. Dec. 16. n. 2. † *Aut promissa*, & pro exigenda ea competit 50  
actio ex stipulatu, Dotis enim promissioni semper creditur in-  
esse stipulatio, l. un. §. 1. C. de Rei U. A. cui annexa tacita hy-  
potheca d. §. 1. Carpz. Dec. Illust. p. 1. Dec. 57. quæ tamen bonæ  
fidei non est, Bach. V. 2. Diss. 7. th. 8. L. A. Dn. Struv. d. l. th. 7.  
Diss. Peretz. in C. b. t. n. 9. Brun. in Comm. ad l. un. C. de R. U. A.  
† Illud constat, quod dote non promissa defunctâ uxore ea peti 51  
non possit Carpz. d. Dec. 16. † De eò autem quæsitum quid 52  
*obtineat dote intra annum & diem promissa,*  
*si mulier intra annum moriatur?* Dotem mari-  
tum

tum non posse petere, ex l. ii. ff. de Pact. Dot. statuit Thoming.  
Dec. 29. De Jure Saxon. vid. Carpz. all. Dec. 16. n. 6.

- 53 † *Uxorem* quod attinet, illi matrimonio soluto (De eo enim casu quando nuptiæ secutæ non sunt, vid. l. 23. & l. 17. ff. Sol. Marr.) duplex competebat actio I. ex stipulatu II. Actio Rei Ux. Sed hanc Justinianus abrogavit, & actionem ex stipulatu, licet vel nulla, vel inutilis stipulatio intervenerit, concessit, eique non modo qualicatem quod sit bonæ fidei attribuit, adcoque, quod optimum Rei Ux. Act. erat, in actionem ex stipulatu transfudit, sed & dotibus tacitas hypothecas ex  
54 utroque latere superaddidit. d. §. 1. C. de R. U. A. † Dixi *Matrimonio soluto. Regula* enim est, eam, hoc constans, quia oneribus matrimonii inservire debet, l. 70. ff. de  
55 *Jur. Dot.* repeti non posse, l. 2. ff. Sol. Marr. † *Fallit* tamen hæc si maritus vergat ad inopiam, tunc enim non secus ac si solutum sit matrimonium vindicare potest dotem. l. 19. C.  
56 de *Jur. Dot.* † *Nec culpa mariti* hic requiritur, sed sufficit, etiamsi *casu* ad inopiam fuerit redactus, lex enim culpa mentionem non facit, & à pari procedunt inopia mariti, & dis-  
57 solutio matrimonii. Brunn. ad d. l. 29. C. de *Jur. Dot.* † Quod non de dote solum *sed & donatione propter nuptias*  
58 & bonis paraphernalibus verum est, d. l. & *Aurb. seq.* † *Nec* verò repetitio hæc, solum bona, plenò jure mariti propria, persequitur, Gail. 2. *Obs. 83. n. 4.* Sed & *Emphiteutica*, imò *feudalia*, Gail. d. l. in quibus tamen, soluto jure mariti, jus quoque  
59 uxoris extinguitur. † *Quemadmodum* etiam uxor hoc casu repetens dotem, eam alienare non potest, sed ex fructibus & se & Maritum & communes liberos alere debet. l. 24. ff. Sol. Marr.  
60 † *Quæ* autem actione, an utili in rem, tanquam ipsò jure dominium ad Mulierem revertatur, an verò utili ex stipulatu repetatur, Vid. Mich. Grass. lib. 2. *sent. 9. 17.*  
61 † *Illud* etiam hic queritur, an *Maritus Uxorem ex causa inopie dotem repetentem datis fidejusso.*

*iusforibus submovere possit?* Affirmativam defendit,  
Giph. ad d. l. 29. † Non autem mulier solum contra mari- 62  
tum sed etiam Socerum qui dotem recepit, & ad inopiam ver-  
git, vel male sua substantia uti incipit, ad repetendam dotem,  
agere potest, sed etiam ab extraneis creditoribus matrimonio  
non obstante, eam vindicare, aut si ipsa possideat, exceptione  
proposita contra eosdem se defendere potest d. l. ubi adhuc 29.  
C. de Jur. Dot. † *Num creditoribus hoc casu com-* 63  
*petat jus offerendi* non minus dubium est: Affirmati-  
vam, argt. l. 10. C. qui pot. in pign. tustur, Fach. l. 3. Contr. 100.  
& l. 11. Contr. 14. Franc. Sarrin. l. 2. sel. interpr. 12. num. 1. † Ad 64  
*probandam* vero istam inopiam & prodigalitem, vulgi  
opinionem & semiplenam probationem sufficere existimat.  
Gail. d. l. n. 12. Ubi quot modis quis ad inopiam vergere dica-  
tur eleganter tradit. † *Quid vero, si scienter mu-* 65  
*lier oberato nupsit marito*, an tum dotem con-  
stante matrimonio repetere potest? Tractat hanc questionem  
late iam cit. Gail. *Observat. 34.* qui allatis pro & contra argu-  
mentis, tandem concludit, quod, si uxor ante matrimonium  
*plene* cognovisset & exploratam habuisset viri conditionem,  
mulieri non comperat hoc privilegium, cujus tamen scientia  
probationem viro injungit. † Si vero mulier viro de dilapi- 66  
datione, populari tantum rumore suspecto, qui tamen faculta-  
tibus nondum erat lapsus, scienter nupsit, ipsi non negan-  
dum esse, sed consulendum beneficio juris communis affirmat.  
† Brunnem. ita: *Aut nova suspitionis causa emergit, aut non, &* 67  
*hoc casu non quidem ex hac lege 29. agere potest, sed tamen potest*  
*cautionem petere de securitate dotis, argt. l. 6. per vestros 7. & de*  
*Don. inter Vir. & Ux.* † *Quid vero si maritus lo-* 68  
*cupletior factus?* Dotem restitutam eum repetere posse  
aequior videtur sententia; Gail. l. 2. *Obs. 95.* tum quod res que-  
vis facile ad suam naturam revertatur, tum quod ratio haben-  
da amoris conjugalis, & prospiciendum, ut materia litis pre-

scindatur, Brun. d. l. add. l. 4. §. 1. ff. de Mun. & hon. l. 17. & seqq.  
 ff. de Exec. Rei. Jud. Wissenb. h. e. num. 16. Diss. Accurs. Giph.  
 & Bussius.

69 Restat nunc ut de *privilegiis dotis* brevissimis  
 agam. Plurima autem dotis constituuntur privilegia, quemad-  
 modum Bald. Novelli, in Tr. de Dote 186. recenset, quorum  
 80. ante, 48. constante, 38. soluto matrimonio competere, 20.  
 70 verò circa ipsum iudicium versari tradit, *pari. 6. 7. 8. & 9.* †  
*Verum* omnia hæc examinare nec instituti mei nec tempor-  
 ris ratio patitur. Videbo ergo solummodo *Jus* cuius jam  
 supra mentionem feci, *tacite hypothecæ* & in eo fundatum  
*Jus retentionis* Et 3. *Jus pralationis* in concursu cre-  
 ditorum ac ita huic discursui *FINEM* imponam.

71 † *Tacita hæc hypothecæ* competit I. *Uxori*  
*ratione dotis*, & quidem in omnibus mariti bonis, ut pote  
 legali hoc nexu affectis l. un. §. & ut plenius. C. de Rei Ux. Ad.

72 † Unde non tantum maritum convenire, sed etiam contra ex-  
 traneos hypothecaria actione rerum ipsius Mariti possessores

73 experiri potest. † Ubi tamen circa *merces*, vid. l. 34. ff.  
*de Pignor.* Et hæc hypothecæ non solum locum habet in *Dote*  
 80 *vera* sed & *putativa*, Bald. Nov. p. 11. in pr. Beuff. p. 3. c. 12.  
 quin & in *augmento dotis*, §. aliud quoque 2. Nov. 97.

74 † Non etiam solummodo ad *Dotem* restrictum est hoc privile-  
 90 gium tacite hypothecæ, sed extenditur ad *donationem*  
*propter nuptias*, pro qua si in majorem dotis securitatem  
 facta, aut pactum quod mortuò maritò uxor eam lucrari debeat,  
 80 adjectum Carpz. Jur. Rom. Sax. p. 2. Const. 42. num. 8. etiam  
 bona mariti tacite obligata sunt. l. 29. Ibiq. Gloss. C. de Jur. Dor.  
 Neguzant. de pign. 4. m. p. 2. n. 64. Beuff. d. l. Schneidey. ad

75 *tit. Inst. de Ad. n. 35.* † Imò etiam ad *bona paraphernalia*  
 per maritum administrata porrigitur, l. f. C. de Pat. Conz.  
 † Ubi



† Ubi tamen notanda differentia inter dotem & paraphernalia 76  
*In dote* incipit hac hypotheca à die consummati matrimonii  
*l. i. ff. qui pot. in pign.* Gail. 2. *Obs. 80. in paraphernalis*  
autem à die illationis, Carpz. p. 2. C. 22. D. 3. Magn. Dn. Richter, 78  
*Tr. de priv. cred. D. 6. §. Deinde.* † Nec tamen uxori solam 77  
privilegium tacitæ hypothecæ concessum, sed **Co. Marito**  
pro dote consequenda *a. l. un. §. C. de R. U. A.* † Hinc Schnei- 78  
devy. infert bona uxoris pro *evictione dotis*, si forte eam  
à marito evinci contingat obligata esse. † *Filiabus* etiam in 79  
feudis, deficientibus bonis Hereditariis, pro elocatione tacitam  
hypothecam tribuit, Laud. Dn. Richt. *Tr. de priv. cred. Disp. 8.*  
*num. 7.* Qui tamen ibidem de jure Saxon. loqui videtur, quem 78  
admodum ipse in fine hanc sententiam restringit, quod in con-  
cursu creditorum, filia respectu dotis omnibus paternis credi-  
toribus postponatur, illisque dos non debeat, nisi solus *ere*  
alieno, Vid. Carpz. p. 2. *Const. 46. Def. 17.* † *Extraneo*, 80  
vero qui dotem dedit, & eam forte sibi restitui stipulatus est, 88  
privilegium tacitæ hypothecæ in bonis mariti non tribuitur,  
tunc quia lex deficit, tum quia tacita stipulatio & tacita hypo-  
theca pari passu ambulant, §. 1. *C. de R. U. A.* Tacita autem  
stipulatio in favorem extranei non fingitur, Unde nec tacita hy- 88  
potheca. † Quæri hic solet *an privilegium tacitæ hy-* 81  
*pothecæ persona an actioni sive causa competat?*  
Posterior affirmatur, *a. l. un. §. 1. & §. 4. C. de R. U. A.* † Unde 82  
non attentis iis quæ prolixè adducit, Bald. Nov. *Tr. de Dose p.* 82  
*12. num. 1.* concludo: Non tantum transire ad heredes mulieris,  
sed & cedi posse in quemcunque Extraneum, undè cessa actione  
personalis, etiam hypothecam ceu qualitatem & pedissequam  
cessam censei, Carpz. p. 1. C. 28. *Def. 99.* † Nam licet hypothe- 83  
ca inducta sit primum favore mulieris, doti tamen ipsi & actio-  
ni huic pro dote competenti data, omnino igitur cum re trans- 84  
fertur, Brunnem. *Tr. de cess. o. 4. n. 88.* † Ad quemcunque 84  
ergo transit dos vel hac actio, ad eum transit & hypotheca,  
Unde

Unde Schneidevv. *dist. l. n. 36.* ex Jasone refert, Baldum dixisse: Privilegium hoc transire ad quemcunque transmittatur hæc actio etiam si ad Diabolum infernalem transeat.

85 † Ex tacita hypotheca fluit II. *Privilegium*

*Retentionis*, cujus vigore mulier Mortuò marito, propria autoritate potest remanere in bonis defuncti donec ei dos restituatur. Schneidevv. *d. t. de Actiõ. §. fuerunt. num. 32.*

86 † Quin & vivò marito, quasi communem usum & possessionem bonorum omnium ejus habere videtur, æquissimum ergò, ut jure retentionis ea tam diu possideat, donec dos illata restituatur. Neguzant. *de pign. p. 5. pr. m. 4.* Myns. *Cens. 6. Obs. 45. n. 5.* quod de Jure Saxon. expressâ constitutione firmatum. *p. 2.*

87 *Const. 25.* Ubi vid. Carpz. *Def. 8.* † *Quid verò si tempore obitus mariti, Viduâ forte alibi degente, ab heredibus possessio apprehendatur?* Matth.

Coler. *de Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 220.* restringit jus retentionis

88 ad casum vacuæ possessionis. † Contrarium tamen statuit Carpz. *Lib. 4. Resp. 19.* ex hac ratione; quod quamvis corpore absens sit mulier, nec realiter bona defuncti mariti teneat, animo saltem retinuisse possessionem censenda, *d. l. num. 8.*

89 † Ubi ulterius infert: Quod etsi Vidua ab heredibus Mariti fuerit ex possessione *dejecta*, vel blandis sermonibus, quasi heredes ei statim dotem soluturi sint persona decesserit, ante omnia sit restituenda, uti multis Dd. autoritatibus firmat, *p. 13.*

90 *§. 14.* † Quod non solum in dote sed & pro *dotalitio*, rebusq; aliis paraphernalibus mulieri competere statuit Rauchb. *p. 1. qu. 33. num. 22.* Matth. Wesemb. *p. 1. Conf. 77. num. 9.* adde de portione statutaria Carpz. *d. l. Def. 9.* de donatione propter nuptias & portione pactis dotalibus assignata. *Def. 10.*

91 † *Exercebit* autem mulier jus retentionis in tot & tantis bonis, quæ ad concurrentem æstimationem dotis & causam alimentorum sufficiunt, Cöl. *d. l. p. 1. §. 2. n. 224.* durante

intc.

interim jure tacite hypothecæ in universis, Gall. l. 2. Obs. 92.  
n. 12. & 13. Unde non nisi ad indigentiam sive necessitatis ex iis  
alimenta habet, eaque si forte Curatorem accipere recuset, ad-  
ministrare, & finito retentionis jure rationem administrationis  
reddere tenetur, Carpz. d. l. def. 11. 12. 13. & 14.

*Liquidam* autem præsuppono dotem, Quoad 92  
*controversam* enim & illiquidam retentionis jure non  
gaudet, sed præstita cautione ab heredibus, excedere juberi  
potest. Berl. p. 2. Concl. 32. num. 15. † Aliàs mulier hoc jus non 93  
*tantum* ad heredes transmittit, sed & in quemvis, etiam sin-  
gularem possessorem transferre potest, per ea quæ tradit, Berl.  
d. l. num. 8. Mynf. cent. 6. Obs. 82. n. 2. adde pluribus Carpz.  
Respons. 20. & 21.

† Sequitur tandem jus *Prelationis* fundatum in l 94  
*Affidui C. qui Pot. in pign.* cujus vigore mulier non tantum,  
habet tacitam, dicto modo, hypothecam; sed & tale privilegium  
ut omnibus aliis creditoribus mariti præferatur. † *Ratio* 95  
quæ Justinianum movit, fuit non solum Dotis utilitas & favor  
publicus, sed & obsequia & partus periculum, d. l. n. De cujus  
genuino sensu videbo. † Diverſæ autem circa explicationem 96  
tx. occurrunt opiniones duorum Glossatorum, *Martini* &  
*Bulgari*, quorum ille indistinctè omnibus etiam antiquio-  
ris temporis hypothecâ vallatis creditoribus præfert mulierem,  
tùm propter generalitatem tx. tum quod taciti & expressi  
idem sit judicium. † Quod etiam in *Marchia* ita obser- 97  
vari testatur, Bruun. ad h. l. † *Bulgari* tamen, qui ad taci- 93  
tam saltem hypothecam text. restringit, videtur esse communior.  
† Et sanè si præcisè verbis legis inherere velis, Martini senten- 92  
tia fortè esset admittenda, *Communem* verò qui sequun-  
tur, respondent cum Magnif. Dn. Richtero *Tr. de prio. cred.*  
*Dip. VI Sect. I.* quod d. l. intelligi debeat de *illis creditoribus*,  
qui

qui ex privilegio temporis id est: provisione legis  
antecedentem habent hypothecam, non verò, qui ex pro-  
visione hominis, seu speciali & expressa conventione.

- 100 † Eodem ferè modo, Gail l. 2. Obs. 25. n. 10. quod nempe pro-  
visio legis non debeat excludere provisionem hominis & ex-  
pressam conventionem, temporis prærogativa firmatam: alias  
enim multi creditores, contra bonam fidem, inique deciperentur,  
iisque jus conventionem quæsitum auferretur, contra regulam:  
quod privilegium juris citra injuriam alterius concessum intel-  
ligi debeat, ut loquitur cit. Gail. l. 2. Obs. 25. B. Carpz. Juripr.  
101 For. p. 1. Const. 28. Def. 65. num. 11. † Unde concinnè Bart.  
*Lex suum, non tibi tuum denegat auxilium.*  
101 † Præfertur itaque Mulier, habens tacitam hypothecam prio-  
rem, creditori habenti expressam posteriorem. † Si verò  
101 *concurrunt* mulier & creditor, & uterque habet expressam  
hypothecam, tunc priorem tempore præferri alteri, juxtà Reg.  
*in l. prior. 11. ff. qui pot. in pign.* statuunt Magnif. Dn. Rich. d. Dis-  
Sect. 1. Schneidevv. l. cit. n. 59. B. Carpz. Juripr. For. p. 1. Const.  
104 28. Defin. 68. n. 3. 4. 5. & seqq. †

Competit hoc privilegium Doti sive *extent* res dota-  
les sive non d. l. vers. licet dotales. Brunn. ad d. l. quod exten-  
ditur, etiam si in bona mariti conversa non sit, Laud. Dn. Richt.  
d. l. B. Carpz. Juripr. Foren. p. 1. Const. 71. n. 2. Quod hoc Re-  
sponso firmat, † So werdet ihr solches eures eingebrachten Ehy-  
geldes/ wenn auch gleich solches in eures Mannes Güter nicht  
verwendet wehre/ vor allen andern Gläubigern/ so kein älter aus-  
erkenntlich Unterpand erlange/ billig befristiget. B. N. W.

Nec pro dote *solum* Mulieri hoc privilegium compe-  
tit, sed & pro augmento dotis l. etiam si 8. C. de Jur. Dot. quod  
à die facti augmenti demum incipit per txt. l. si constante. 19.  
vers. jura enim hypothecarum C. de Don. ant. Nupt. † Idem in  
105 Dotalicio, quod alias Donarium, Dotarium, Vicilitium. Ein  
Leibgeding/ Leibzucht/ Leibguth/ Wittthumb/ vocatur, Magnif.  
107 Dn. Richt. d. l. † Non autem competit ei in bonis para-  
pher-

phernalibus, quæ ultra dotem marito attulit, *l. si ego 9. ff. de Iur. Dot. & argt. l. assiduis. 12. §. fin. C. qui pot. in pign. B. Carpzov. Iur. pr. For. p. 1. Const. 28. Def. 96.* Nec in donatione propter nuptias, Brun. *d. l.* † Dicit enim Imperat. *in d. l. 108 assiduis 12. §. fin.* quia non pro lucro fovemus mulieres, sed ne damnum aliquod patiantur circa res suas. † Si verò mulier donationē propter nuptias exigat, non ut eam *lucretur, sed* tanquam specialiter sibi pro dote obligatam, ut dotem salvam retineat, meritò gaudet prælationis privilegiò, censetur enim agere potiùs pro dote, quam pro donatione propter nuptias. Schneidevv. *cit. loc. num. 62. Berl. Concl. 65. num. 72.*

*In bonis quoque feudalibus* Mulierem ratione Dotis cæteris creditoribus posterioribus, expressam hypothecam habentibus postponi tradit, Magnif. Dn. Richter. *d. l. cum mul. ibi cit.* Ubi ita Serenissimi Electoris Brandenb. Consiliarios pronunciaſſe dicit. † *Sic* etiam non competit prælationis privilegium mulieri quæ communem exercuit cum marito negotiationem & debita simul contraxit: Videntur enim cum Uxore simul contraxiſſe creditores, quare mulieri privilegium hoc denegandum est, ne cum ea contrahentes iniquè decipiantur. † Et ita passim in *Germania* receptum esse testatur Gail. *l. 2. Obs. 90. num. 5.* † Idem quoque obtinere vult, B. Carpzov. *d. Const. Def. 84. in ea quæ sciens viro obarato nupsit,* rationem reddit hanc, quod videatur mores mariti approbaſſe, *l. promittendo 41. §. si à debitore ff. de Iur. Dot. l. inter causas 26. §. abesse ff. Mand.* adeoque ipsi non magis succurrendum, quam *fidejussori,* qui scienter pro homine inope vel prodigo fidem suam interposuit, cui propterea actio ad liberationem non competit, etiamsi diu fidejussionis nexu fuerit obligatus *l. si à quo 3. §. ff. ut in poss. leg. l. ult. §. hic illud quoque C. de spons.* Sed de his superius jam dixi. *n. 64.* † Illud certum est; Mulieri non competere privilegium prælationis: quando maritus *culpa uxoris,* ob malam nempe

eius administrationem aut ob luxum ad inopiam pervenit B.  
Carpz. d. Const. Defin. 95.

1164 *Antequam* autem mulier praelationis jure gau-  
deat, necesse habet ut Dotem vere illatam *probet*, juxt. l.  
1165 *affid. 12. §. 1. vers. cum enim ibi.* † Probatio autem illa solutæ dotis,  
per testes, documenta vel alium legitimum modum regulariter  
fieri debet, *Si vero* uxor nec testes nec documenta habeat,  
tùm concurrentibus *conjecturis* & præsumptionibus, illatio-  
nem dotis *juramento* probare potest. Magnif. Dn. Richt.  
1166 *d. Disp. VI.* † Non enim *sufficit* confessio mariti. Hæc  
etenim, si constante matrimonio facta, nec aliunde numeratio  
aut constitutio appareat, suspensissima, B. Carpzov. d. Const.  
1167 28. Def. 27. num. 4. † *Limitant* tamen hanc assertio-  
nem DD. Si & reliqui creditores ex sola literaria cautione  
1168 & confessione debitoris agant, quando enim mulier & alii  
creditores, *in pari sunt conditione* mulierem in dote  
confessata præferri, quia favorabilior est, affirmat Gail. l. 2. Obs.  
1169 81. n. 5. † *Item* si post confessionem mariti fiant demùm  
creditores, aut confessionem dotis à marito factam non im-  
pugnent *l. 3. in verb. exceptione opposita C. de non num. pec.*  
† *Restringit* quoque Magnif. Dn. Richt. d. l. *Limit. 6.*  
1170 prædictam assertionem, si tempus opponendi exceptionem,  
non numeratæ dotis fuerit elapsum, quando nempe matri-  
monium ultra decennium duravit & maritus moreretur, nu-  
meratio enim dotis ex diuturnitate temporis præsumitur o-  
mnisque quærela denegatur, *Nov. 100. c. 1.* Et *aut. quod lo-*  
1171 *cum C. de Dot. caut. non numer.* † *Competit* autem pri-  
vilegium hoc *soli uxori*, quare in Extraneos heredes (se-  
cus in liberis *b. l. vers. exceptis & Nov. 91. pr.*) transmitti he-  
quit *l. 196. ff. de R. l. l. 12. C. 13. ff. Sol. Marr.* Personalissimum  
enim est. *ex Const. Just. in l. 12. C. qui pot. in pign.* quare deficiente  
per-

personâ quæ locum fecit beneficio, deficit quoque beneficium,  
l. 68. ff. de R. J. B. Carpzov. Jurapr. Forens. p. 1. Const. 28.  
Def. 95.

Habes hic Benevole Lector Disputatio-  
nem non *pro dignitate materiae, sed* pro tenuio-  
ris ingenii modulo conscriptam: *Fusus* qui-  
dem tractari potuisset & *accuratius*, verum, *pri-*  
*imum* rogo ut adscribas temporis penuriæ, *al-*  
*terum* doctioricalamo me reliquisse scias, quare  
si spei rux non omnimodè satisfecerim, pero, ut  
memor *imbecillitatis humanae*, ob quam Imp.  
Just. de Confirm. ff. §. 4. *Immortalem* appellat  
*eum qui in nullo plane peccat*, amiciori hanc ad-  
spicias oculo. Interim

Tibi triune Deus pro clementi-  
adfsistentia  
Maximas persolvo grates.

EMENDANDA.

Cap. I. n. 13. post ille: dele vel. Cap. II. n. 20. lege reciproca  
n. 58. l. quadringentis. n. 61. l. auferri. n. 86. l. diversò respectu n. 106.  
l. adhuc. Cap. III. n. 20. lege auferre n. 31. leg. permittitur n. 34. leg.  
deserionem n. 41. l. necesse n. 61. lege negativam.

E 3

Non

**N**on tibi præstigiæ titulo-  
rum, rebus inanes

**N**on tibi frons chartæ pro-  
digiosa placet.

**J**udicio qui pollet, inanibus u-  
tile præfert,

**H**æc est judicii **DOS** pretio-  
sa tui.

**STRAUCHTUS.**

---

*Nobili & egregie docto*

**DN. CHRISTIANO ANTONIO**  
**STAMMICHIO, Mind. Guest. Jurium**

Cultori eximio

*Fautori & Amico meo sincerâ mente semper colendo*

*Tertiâ vice*

Publicam apud Nos Cathedram non sine laude  
conscendenti

**D**otibus ingenii quam sis præ-  
clarus, id omnes

Heroas juris pagina docta docet:

Pagi.



Pagina nimirum quæ TE de DOTE  
diserta  
Verba volutantem prædicat  
Eximium.  
Gratulor idcirco de tantis Dotibus  
ipse,  
de DOTE hic sermo commoda  
plura vehat.

*Sic presentes futurasque dotes gra-  
rulari voluit*

ADOLPHUS CHRISTIANUS Schelhasse / D.

**L** A dote, che la Moglie porta seco,  
Mentr' ella vuol andar al suo marito,  
Ne l' or consiste appeso al mondo cieco;  
Ma quei che son di spirito piu, polito,  
Ne la virtu la fonda, e son teco  
Di senso piu elevato ed esquisito;  
Et de la dote qui ben disputando  
La dote del tuo ingegno vai mostrando.

Si rallegra col signor Rispondente ed  
Autore delle presente  
disputa

Carlo Caffa, D. P. P.

ES

**E** hat die Pallas iederzeit die Thren wohl belohnet/  
und nichtes/ was zum Schmuck gehöret an selbigen  
geschonet/

363  
Wer nur die Tugend hat zur Braut/  
Dem wird die Ehre auch vertraut.

Dann/ welchem schon die Braut gewehret/  
Dem ist der Brautſchas auch beſchert.  
Du haſt dich/ werther Muſen-Sohn/ alsbald von zarter  
Tugend

Verlobet und verehelicht mit Pallas Tochter Tugend;  
Nun ſtellt ſich auch die Ehre ein

Und ſpricht: Ich wil der Brautſchas ſeyn.

Dann/ welchem schon die Braut gewehret/  
Dem ist der Brautſchas auch beſchert.

So haſtu was du haben wilt/ und iſt dein Wuſch erfüllet/  
Nachdem der Brautſchas und die Braut ietzt dein Ver-  
langen ſillet.

Nun ſprichſtu/ kan ich ſicher ſeyn:

Der Brautſchas und die Braut iſt mein.

Dann/ welchem schon die Braut gewehret/  
Dem ist der Brautſchas auch beſchert.

Es wil doch aber dieſe Braut allein nicht bey dir bleiben/  
Es ſoll ſich auch in kurzer Zeit ein' andre dir verleiden.

Wir reden hie das Ja-Wort ein.

Der Brautſchas muſß verdoppelt ſeyn:

Dann/ wann dir schon die Braut gewehret/  
Iſt dir der Brautſchas auch beſchert.

Mit dieſem wenigen wolten den Herrn Antorem,  
als Ihr hoch-geehretes und geliebtes Eiſch-  
Glieb ſchuldigt beehren

Ihrer Excellenz Hn. D. von Wintheimbs

**Sämtliche Eiſchgenossen.**

F I N I S.





ULB Halle

3

005 132 681



1017







Farbkarte #13

B.I.G.

CHRISTO, <sup>32</sup> 1668, 56

TORUM ORDINIS, 22  
ALANA CONSENSU  
nevolo,  
NEM JURIDICAM

TE,

RÆSIDIO  
I, AMPLISSIMI ATQVE  
ULTISSIMI

II HARBORDI  
J. U. D. CELEBER.

PROVINCIALIS SAXO.  
UE LINEÆ COMMUNIS,  
ATI ORDINARIIL

troni ac Præceptoris sui omni  
tu etatem devenerandi,  
TORUM EXAMINI SISTIT

N. Anton Stamnich/  
ind. Guest.  
OR ET RESP.  
CUM HORIS CONSUETIS  
em 23. Septemb.

pis WERTHERIANIS,  
M. DC. LXIIX.